

concedendum est, ut fiat vis inter motum localem et mutationem localem, et iterum inter mutationem localem locati et mutationem localem non locati sed tantum uniti locato, que est mutatio localis per accidens, sicut et acquisitiva loci per accidens et mediante aliquo per se locato. Et ita secunda mutatio localis per accidens potest concedi inesse corpori Christi in instanti conversionis panis in ipsum; non autem motus localis.

Dicitur secundo, quod instantia lata contra minorem argumenti, sufficienter evanescata est ex praedictis: quia corpus Christi, licet non habeat ad locum hostiae presentiam per se et immediate, habet tamen presentiam ad illum per accidens, et mediante ratione dimensionum panis, quas inseparabiliter concomitantur, et quibus aliqua unione conjugantur.

Exemplum autem quod adducitur de angelo, non valet. Tum quia substantia angelorum modo est praesens corpori moto ab angelo, et alio modo corpus Christi ad species panis: quia prima presentia est sicut motoris ad mobile, secunda vero presentia est sicut substantie ad quantitatem, et hanc absque simile illi presentiae qua subjectum dicitur praesens suo accidenti: quia, licet corpus Christi non subjiciatur dimensionibus panis conversi, sicut tamen subjecto dimensionum, sine informatione, in consimili presentia, et eadem vel tanta inseparabilitate. Tum quia presentia angelorum ad corpus est voluntaria, non autem presentia corporis Christi ad species, modo prius exposito. Tum quia falsum assumit arguens, scilicet quod angelus movens corpus non moveatur ad motum talis corporis. Unde sanctus Thomas, 1 p., q. 51, art. 3, in solutione tertii, sic dicit: « Motus qui est a motore coniuncto, est proprium opus vite. Sie autem non moventur corpora assumpta ab angelis; quia angelii non sunt formae eorum. Moventur tamen angelii per accidens, motis hujusmodi corporibus; cum sint in eis sicut motores in mobilibus; et ita sunt hic, quod non alibi; quod de Deo dici non potest. Unde, licet Deus non moveatur, motis his in quibus est, quia ubique est, angelii tamen moventur per accidens, ad motum corporum assumptorum; non autem ad motum corporum celestium, et si sint in eis ut motores in mobilibus; quia corpora celestia non recidunt de loco secundum totum; nec determinatur spiritui moventi orbem locus secundum aliquam determinatam partem substantiae orbis, que nunc est in oriente, nunc in occidente, sed secundum determinatum situm, quia semper est in oriente virtus movens, ut dicitur, 8. *Physicorum* (t. c. 84). » — Hac ille. Ex quibus patet exemplum adductum ad propositum nil valere.

Et haec sufficiant ad objecta Durandi.

Ad argumentum contra questionem, patet responsio per predicta.

Et haec de questione sufficiant. De qua benedictus sit Deus. Amen.

QUESTIO IV.

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN EUCHARISTIA VISIBILITER,
HOC EST, UTRUM POSSIT IBI VIDERI OCULO CREATO

ALTIIMO, circa decimam distinctionem quarti, queritur: Utrum corpus Christi sit in Eucharistia visibiliter, hoc est, utrum possit ibi videri oculo creato.

Et arguitur quod sic. Quia corpora gloriosa erunt configurata corpori claritatis Christi, ut dicitur, *Philippens.* 3 (v. 21). Sed oculus Christi videt se ipsum prout est in sacramento hoc: Ergo, par ratione, quilibet aliis oculus gloriae potest ipsum videre.

In oppositum arguitur sic: Nihil enim idem, et eodem modo existens, potest simul ab eodem videri in diversis speciebus. Sed oculus gloriae semper videt Christum prout est in sua specie, secundum illud Isaiae 33 (v. 17): *Regem in decoro suo videbunt.* Ergo videtur quod non videat Christum prout est sub specie hujus sacramenti.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod nullus oculus corporalis potest videre corpus Christi prout est in hoc sacramento.

Secunda conclusio est quod quilibet oculus intellectualis beatus potest videre corpus Christi prout est in hoc sacramento.

Tertia conclusio est quod nullus oculus intellectualis, non beatus, potest videre, cursu naturali et propria virtute naturali, corpus Christi prout est in hoc sacramento.

Hec tres conclusiones ponit sententialiter Beatus Thomas, 3 p., q. 76, art. 7, ubi sic dicit: « Duplex

est oculus : scilicet corporalis proprio dictus, et intellectualis, qui per similitudinem dicitur. A nullo autem oculo corporali corpus Christi potest videri prout est in hoc sacramento. Primo quidem, quia (x) corpus visibile per sua accidentia immutat medium; accidentia autem corporis Christi sunt in hoc sacramento mediante substantia, ita scilicet quod accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem neque ad locum neque ad corpora quæ ipsum circumstant; et ideo non possunt immutare medium, ut sic aliquo corporali oculo videri possint. Secundo, quia corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae; substantia autem, in quantum hujusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subjacet alicui sensui, neque imaginationi, sed soli intellectui, cuius objectum est quod quid est, ut dicitur, *3. de Anima* (l. c. 26); et ideo, proprio loquendo, corpus Christi, secundum modum essendi quem habet in Sacramento isto, neque sensu neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis. Pereipitur autem diversimode a diversis intellectibus. Quia enim modus essendi quo Christus est in hoc sacramento, est penitus supernaturalis, a supernaturali (6) intellectu, scilicet divino; secundum se visibilis est, et, per consequens, ab intellectu beato angeli vel hominis, qui, secundum participatam claritatem divini intellectus, videt ea quæ supernatura (y) sunt, per visionem divinæ essentiae. Ab intellectu autem hominis viatoris non potest conspici nisi per fidem, sicut et cetera (z) supernatura. Sed nec etiam intellectus angelicus secundum sua naturalia sufficit ad hoc intuendum. Unde daemones non possunt videre per intellectum Christum in hoc sacramento, nisi per fidem, cui non voluntate assentiunt; sed ad eam signorum evidenter convineuntur, prout dicitur, *Jacob. 2* (v. 19), quod *dæmones credunt et contremiscunt.* » — Hæc ille.

Item, præsenti distinctione, q. 4, art. 4, in solutione primæ questiunculae, sic dicit: « Nihil videtur corporali visu, nisi per hoc quod oculus ejus movertur ab objecto secundum similitudinem coloris in ipso existentis. Que quidem similitudo primo fit in medio, et deinde in sensu. Corpus autem Christi non habet ordinem ad species, sub quibus est, ratione quantitatis suæ. Et ideo non potest aggenerari similitudo coloris ejus in aere contingente species, duplice ratione. Primo, quia omnis actio corporalis requirit contactum; tactus autem corporalis sequitur quantitatem, quia nihil aliud est quam conjunctio terminorum duarum quantitatum; et ideo corpus Christi non tangit aerem circumstan-

tem, et, propter hoc, non potest in ipso aggenerare similitudinem sui coloris. Secundo, quia color sequitur quantitatem, cum immediatum subjectum ejus sit superficies; et quia corpus Christi non habet ordinem ad hunc locum ratione sue quantitatis, ideo nec ratione sui coloris; et ideo, sicut non conjugitur aeri circumstanti secundum quantitatem, ita non assimilat sibi ipsum, aggenerando similitudinem coloris sui in ipso. » — Hæc ille.

Item, ibidem, in solutione quartæ questiunculae, sic dicit: « Angelus nihil videt visione corporali; quia, licet corpus assumat, non tamen conceditur quod videat per corpus assumptum. Unde relinquitur quod in eo non est nisi visus intellectus; qui quidem non est recipiendo a sensibilibus, sed vel per species innatas, quantum ad ea quæ naturali cognitione intelliguntur, vel per Verbum quod vident, quantum ad ea quæ supra naturalem cognitionem ipsorum sunt. Et quia angeli sunt beati, oportet quod habeant plenam visionem omnium eorum de quibus est fides, quantum ad visionem gloriae, quæ fidei succedit. Et ideo, sicut fides credit corpus Christi esse sub sacramento, ita visione beata angeli vident. Credo autem quod omnia quæ sunt fidei, sunt supra naturalem cognitionem angelorum, sicut supra naturalem rationem hominum; et ideo mysteria fidei dicuntur esse *abscondita a seculis in Deo*, ut dicitur, *Ephes. 3* (v. 9). Unde naturali cognitione non vident angeli corpus Christi esse sub sacramento, sed solum beata. Daemones vero non vident plenarie, sed eridunt, et contremiscunt. » — Hæc ille.

Item, in solutione quinta questiunculae, sic dicit: « Illa tantum intellectus noster videre dicitur, proprio loquendo, quorum essentia ei representatur, sive lumine naturali, sive gratiae aut gloriae. Et ideo, per consequens, videre dicitur illa principia, quæ statim cognitis terminis, quasi visis essentiis terminorum, cognoscuntur; et, per consequens, omnia et tantum illa quæ reducuntur in illa principia, sicut conclusiones scientiarum. Que vero nullo modo ordinem habent ad principia naturaliter cognita, nec ad sensus perceptionem, non potest in statu viae videre. Et quia corpus Christi esse sub sacramento nullum ordinem habet ad principia naturaliter cognita, quæ sunt principia scientiarum, neque etiam sensu a nobis comprehendendi potest, ideo intellectus viatoris nullo modo hoc videre potest; et multo minus comprehendere (quia aliquid videtur quod non comprehenditur, sicut essentia divina in patria); nisi videre largo modo dicto, secundum quod dicimus videre ea quæ sunt fidei, in speculo et in anigmate, *4. Corinth. 43* (v. 42). » — Hæc ille.

Ex quibus possunt formari rationes pro conclusionibus. Et quidem, pro prima, potest sic formari ratio: Nullum corpus non potens immutare medium

(x) quia. — quod Pr.

(6) *supernaturalis*, a *supernaturali*. — *spiritualis*, a *spirituali* Pr.

(y) *supernaturalia*. — *spiritualia* Pr.

(z) *spiritualia* vel. — Ad Pr.

videndi per sua accidentia, nec organum visus, potest videri ab oculo corporali. Sed corpus Christi, secundum esse quod habet in Eucharistia, est huiusmodi. Igitur, secundum tale esse, non potest videri ab oculo corporali. — Pro secunda arguitur sic : Quilibet oculus beatus intellectualis videt actu vel habitu omnia de quibus est fides viatoris. Sed de corpore Christi, secundum esse quod habet in Eucharistia, est fides viatoris. Ergo et visio beatorum est de illo, vel esse potest. — Pro tercia arguitur sic : Naturalis cognitio visiva angelorum non potest esse de illo de quo directe est fides. Sed Christum esse in Eucharistia, est huiusmodi. Igitur, etc.

In hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Argumenta Scoti. — Quantum ad secundum articulum, argendum est contra conclusiones. Et quidem, contra primam conclusionem arguit Scotus (dist. 10, q. 9), probando quod oculus corporalis potest videre corpus Christi ut existens in Eucharistia.

Primo. Quia, si corpus Christi, ut existens in Eucharistia, non posset immutare visum, hoc esset quia est inextensus. Sed hoc non valet. Quia angelus nusquam est praesens localiter, nisi diffinitive; movet tamen localiter corpus sibi proportionatum praesens, et, si haberet virtutem alterandi ipsum, alteraretur corpus ut est praesens. Ergo non requirit ex parte moventis extensio corporalis, ad hoc quod alteret organum ad sensationem.

Secundo. Quia corpus Christi non est praesens speciei alicui (α) ad minus, nisi minimo sensibili; quia nulli indivisibili est praesens. Minimum autem sensibile potest percipi a sensu perfectissimo, secundum Philosophum, in *de Sensu et Sensato*. Ergo et istud poterit percipi a visu perfectissimo, non obstante suo modo existendi.

Tertio (6). Quia illud quod dicitur de tactu in probatione conclusionis, non valet, nec concludit. Quia contactus (γ), ut dicit habitudinem corporis ad corpus extrinsecum, non videtur necessario requiri ad aliquam actionem absolutam, cujusmodi

(α) *speciei alicui. — sub specie alicujus* Pr.

(β) *Hoc argumentum est responsio data a Scoto alieni probationi conclusionis, quam sic presentavit : « Non potest ibi esse contactus, sine quo non est actio naturalis in corporibus. Ratio autem quare ibi non potest esse contactus, est : quia corpus Christi non respicit ibi species ratione quantitatis, quantitas autem sola est ratio contactus. »*

(γ) *contactus. — cum tactus* Pr.

est mutatio sensus; quia actio absoluta videtur posse precedere quemicumque talem respectum extrinsecus advenientem. Ergo, licet corpus Christi, ut hic, non contingat, excludendo talem respectum extrinsecus advenientem ad aliud corpus, non sequitur quin posset alterare, quod est movere vel mutare ad formam absolutam.

Quarto (2). Quia illud quod dicitur de quantitate, non concludit nisi quod color non habet ordinem ad locum, eo modo quo quantitas, quae est ejus subjectum, non habet ordinem ad locum. Hoc autem non est nisi quia non est extensio proportionabilis extensioni quantitatis illius corporis. Ergo inferas quod color non extenditur extensioni quantitatis continentis. Sed, si inferatur, ergo non potest alterare medium, nihil ad propositum.

Quinto (6). Quia similiter illud de derivatione per medium, non valet, ut patet per primam rationem : quia angelus potest bene habere aliquem effectum ordinate determinatum in passo; secundum partes passi; licet angelus, ut agens, non habeat alicubi esse localiter.

Sexto. Quia, cum visio sit forma absoluta, potest sine contradictione fieri a Deo in oculo quocumque, sive glorificato, sive non glorificato, sive respectu praesentialitatis ad objectum, vel quocumque tali respectu, ut videtur.

Septimo. Quia illud quod additur de miraculo, non valet. Quia miraculum non est ad illud quod includit contradictionem. Sed quod oculus corporalis videat corpus Christi ut hic primo, implicat. Patet : quia tam causatio quam terminatio visionis requirit in objecto primo causante, vel terminante, dispositionem debitam, et hoc secundum locum, ultiote approximationem et distantiam debitam; sed corpus Christi ut in Eucharistia non potest debite approximari organo, nec distare debite, quia non est hic ut in loco. — Haec Scotus, in forma.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Argumentum Scoti. — Contra secundam conclusionem arguit idem Scotus (dist. 10, q. 8, concl. 3), probando quod beatus per actum beatificum non videt corpus Christi in Eucharistia. Quia beatus non distinguitur a non beato, nisi beatificum objectum videndo, et ea que includuntur in ipso,

(α) *Per istud quartum argumentum respondet Scotus probationi conclusionis ab ipso sic efformate : « Alia ratio est, quia color respicit quantitatem pro per se subjecto; corpus autem Christi non habet ordinem ad locum ratione quantitatis; ergo nec ratione coloris; ergo corpus Christi non potest immutare medium immutacione aliqua, virtute coloris; et ita nec ad visionem. »*

(β) *Ratio ad quam respondet Scotus per hoc argumentum, ab eo sic enuntiatur : « Species non potest hic derivari ab objecto per medium, quia objectum non est in loco; derivatio autem talis requiritur ad visionem. »*

ut est tale objectum. Sed corpus Christi in Eucharistia non est tale objectum beatificum, ut patet. Nec inclusum in objecto beatifico. Patet: quia aequem naturaliter pertinet ad objectum beatificum in ratione objecti videre unam rem unius sacramenti, sicut alterius (sicut ad fidem aequem pertinet credere veritatem unius articuli, sicut alterius); sed nullo modo pertinet ad objectum beatificum includere istud sub ratione ostensi, scilicet gratiam conferri parvulo in baptismō, vel gratiam conferri confitenti in confessione; et ista aequem veraciter includuntur in sacramentis, sicut corpus Christi in Eucharistia; ergo nullo modo objectum beatificum, ut objectum tale est, includit corpus Christi ut visum in Eucharistia. Et addo, juxta hoc, quod multo minus requiritur ad beatitudinem quod beatus videat existentiam corporis Christi in Eucharistia in proprio genere; quia multo minus requiritur ad beatitudinem talis perfectio visionis, quam visionis in Verbo. — Haec Scotus, in forma.

§ 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Argumenta Scoti. — Contra tertiam conclusionem arguit idein Scotus (dist. 10, q. 8, concl. 2), probando quod intellectus angelicus, vel anime separate, sive hominis beati, naturaliter potest videre existentiam corporis Christi in Eucharistia.

Primo. Quia intellectus se habens ad intelligibilia sicut ipsa sunt intelligibilia in se, prius intelligit illud quod prius est intelligibile in se, et per consequens illud quod prius est in se ens; quia unumquodque, sicut se habet ad esse, ita ad intelligibilitatem et veritatem secundum se, ut patet, 2. *Metaphysice* (t. c. 4). Talis autem intellectus respicit totum ens, et quodlibet, secundum ordinem sue intelligibilitatis. Substantia autem est prior, sicut in entitate, ita in cognoscibiliate, quocumque modo accidentaliter ipsius. Ergo talis intellectus prius intelligit substantiam ipsam, quam quenquamque modum ejus; et, per consequens, nullus modus ejus sub specie potest impedire intellectionem substantiae a tali intellectu. Breviter arguitur (z)sic: Modus accidentalis in per se objecto, non impedit cognitionem illius objecti. Ista praesentia in Eucharistia est modus accidentalis substantiae corporis Christi. Ergo non impedit illam substantiam cognosci a tali intellectu, cuius ipsa est per se objectum. Est autem objectum per se illius intellectus abstracti, qui non dependet in intelligendo a sensibus. Igitur, etc.

Dices quod ista concludunt quod talis substantia corporis Christi posset cognosci a tali intellectu, sed non intuitive videri (6): quia illa existentia est supernaturalis, et per consequens improprio-

bilis intellectui creato, vel naturaliter cognoscenti. — Sed contra hoc arguitur. Quia virtus potens cognoscere objectum intuitive dum est praesens, potest cognoscere ejus absentiam dum est absens; patet, 2. *de Anima* (t. c. 71), quia visu non tantum cognoscimus lucem, sed tenebram. Sed intellectus talis potest cognoscere substantiam panis, vel presentiam panis, quando est praesens; quia non est objectum supernaturale. Ergo potest cognoscere absentiam panis, quando est absens. Et qua ratione potest cognoscere istam absentiam substantiae panis, potest cognoscere presentiam substantiae (z) corporis Christi: quia illud in se est objectum proportionatum tali intellectui ut intuenti; ergo modus accidentalis ipsius corporis non impedit quin sit objectum intuibile ipsi intellectui.

Secundo sic. Totum ens creatum, sicut est objectum proportionatum tali intellectui quantum ad cognitionem abstractivam, ita quantum ad intuitivam. Non enim differt intuitiva ab abstractiva, nisi propter presentiam objecti aliam et aliam. Quidquid autem potest esse sibi praesens haec presentia, hoc et illa. Si ergo quodecumque ens potest abstractive cognosci a tali intellectu quando est sibi praesens uno modo, sequitur quod potest intuitive intelligi quando est sibi praesens in propria existentia actuali.

Tertio sic. Naturale et supernaturale non distinguunt naturam alicujus in se, sed tantum in comparatione ad agens: ideo enim dicitur aliquid supernaturale, quia a supernaturali agente; naturale vero, quia a naturali agente. Habitudo vero ad agens aliud et aliud, non concludit aliquid esse aliud et aliud in se, secundum Augustinum, 3. *de Trinitate*, cap. 9. Ergo non concludit illud esse aliud et aliud in ratione intelligibilis. Hoc etiam patet: quia imperfectum ens posset esse supernaturale, et naturale aliquid posset esse (6) perfectius eo; sicut omnis substantia est simpliciter perfectior omni accidente, 7. *Metaphysice* (t. c. 4, etc.); et tamen alieni substantiae, quae est ens mere naturale, posset inesse aliquid accidens supernaturale. Hoc autem patet: quia virtutes theologiae, ut (z) charitas, et hujusmodi, sunt in determinata specie qualitatis; et, secundum multos, angelus habet naturaliter principia cognoscendi omnes species entium, et cognoscendi illas virtutes, licet sint entia supernaturalia. — Haec Scotus in forma.

Et in hoc secundus articolus terminatur.

(z) *präsentiam substantiæ. — substantiam Pr.*

(6) *esse. — Om. Pr.*

(z) *ut. — et Pr.*

(z) *arguitur. — arguit Pr.*

(6) *videti. — videre Pr.*

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 4. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Scoti. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supra dictis. Ideo

Ad primum contra primam (α) conclusionem, dicitur, negando minorem, seu secundam partem antecedentis. Et ad probationem ejus, dicitur quod similitudo adducta de angelo movente corpus, non valet. Quia modus naturalis angeli moventis corpus, est tangere corpus solo tactu metaphysico (ε) vel virtutis, sine (γ) contactu mathematico; et ille tactus sufficit ad hoc quod moveat corpus motu locali. Similiter talis contactus virtutis sufficit ad hoc quod anima rationalis moveat corpus sibi coniunctum, motu locali, et augmenti; et alterationis. Secūs autem est de agente mere corporali: tale enim non potest naturaliter agere, nisi tangat suum proximum et immediatum passum, tactu mathematico. De hoc sanctus Thomas, 2. *Contra Gentiles*, cap. 56: « Est, inquit, quidam contactus, quo substantia intellectualis corpori uniri potest. Corpora enim naturaliter tangendo se alterant; et sic ad invicem uniuntur, non solum secundum ultima quantitatis, sed etiam secundum similitudinem qualitatis aut formae, dum alterans formam suam imprimet in alteratum. Et quamvis, si considerentur solum ultima quantitatis, oporteat in omnibus univocum esse tactum; tamen, si attendatur ad actionem et passionem, inveniuntur aliqua esse tangentia tantum, et aliqua taeta tantum. Corpora enim celestia tangunt quidem hoc modo elementaria corpora, inquantum alterant ea; non autem tanguntur ab eis, quia ab eis non patiuntur. Si ergo sint aliqua tangentia, quae in quantitatis ultimis non tangant, dicentur nihilominus tangere, inquantum agunt; secundum quem modum dicimus quod contristans nos tangit. Hoc modo tangendi possibile est uniri substantiam intellectualis corpori per contactum. Agunt enim substantiae intellectuales in corpora, et movent ea, cum sint immateriales, et magis in actu exsistentes. Hic autem tactus non est quantitatis, sed virtutis. Unde differt hic tactus a tactu corporeo in tribus. *Primo*, quia hoc tactu id quod est indivisible potest tangere divisibile; quod in tactu corporeo non potest contingere: nam punto non potest tangi nisi aliquid indivisible; substantia autem intellectualis, quamvis sit indivisibilis, potest tan-

gere quantitatem divisibilem, inquantum agit in ipsam. Alio enim modo est indivisible punctum, et substantia intellectualis: punctum quidem, sicut quantitatis terminus; et ideo habet situm determinatum in continuo, ultra quem porrigi non potest; substantia autem intellectualis, est indivisibilis, quasi extra genus quantitatis existens; unde non determinatur ei aliquod indivisible quantitatis ad tangendum. *Secundo*, quia tactus quantitatis est solum secundum ultima, tactus autem virtutis est ad totum quod tangitur: sic enim tangitur, secundum quod patitur et movetur; hoc autem fit secundum quod est in potentia; potentia est autem secundum totum, et non solum secundum ultima totius; unde totum tangitur. Ex quo patet *tertia differentia*: quia in tactu quantitatis, qui fit secundum extrema, oportet tangens extrinsecum esse ei quod tangitur, et non potest incedere per ipsum, sed impeditur ab eo; tactus autem virtutis, qui competit substantiis intellectualibus et (α) spiritualibus, cum sit ad intima, facit substantiam tangentem esse intra id quod tangitur, et incedentem per ipsum absque impedimento. Sie ergo substantia intellectualis potest uniri corpori per contactum virtutis. » — Hec ille. — Simile ponit 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 3, art. 3, q^{ta} 3, in solutione septimi argumenti. Ex quo patet nullitas similitudinis argumenti. Quia in motione qua substantia intellectualis movet corpus, qualicumque motu, sive locali, sive alterationis, sufficit contactus virtutis, sine contactu quantitativo; quia alium contactum habere non potest respectu corporis, aut alterius passibilis vel mobilis. Corpus autem non potest movere suum proximum et immediatum mobile, nisi illud tangat tactu quantitativo, qui dicitur mathematicus: nam contactus quo substantia intellectualis tangit corpus, corpori convenire non potest, ut patet ex duabus ultimis conditionibus praedicti tactus supradictis; et tamen movens et motum oportet esse simul, et movens tangere aliqualiter mobile. Unde sanctus Thomas, 2. *Contra Gentiles*, cap. 20, sic dicit: « Nullum corpus agit nisi moveatur, eo quod oportet agens et patiens esse simul, vel faciens et factum. Simil autem sunt que in eodem loco sunt, ut habetur, 5. *Physicorum* (l. c. 22). Locum autem non acquirit corpus nisi per motum, etc. » Item, in fine capituli, sic dicit: « Movens et motum, faciens et factum, oportet simul esse, ut probatur, 7. *Physicorum* (l. c. 10). Corpus autem agens non potest adesse suo effectui nisi per contactum, quo tangentium ultima simul sunt. Unde impossibile est aliquid corpus agere nisi tangendo, etc. » — Hec ille.

Ad secundum, negatur antecedens. Quia corpus Christi non solum est presens minimo sensibili, eo

(α) *primam*. — Om. Pr.

(ε) *metaphysico*. — physico Pr.

(γ) *sine*. — sive Pr.

(α) *et*. — Om. Pr.

modo quo concedendum est minimum sensibile posse dari, scilicet ad hunc sensum quod tale quid separatum posset sentiri, et nullum minus eo, separatum ab aliis, posset sentiri, licet inexsistens (2) alicui toti posset cum aliis sentiri; tali, inquam, minimo sensibili in partibus Eucharisticæ corpus Christi est præsens, et non solum tali, immo cuiuslibet parti ejus. Tale enim minimum in infinitum divisibile est in partes non solum mathematicæ quantitatis, immo in partes sensibiles ut inexsistunt toti, licet non in partes separatim sensibiles. — Cum autem dicit arguens, quod corpus Christi non est præsens alicui indivisibili sub specie, etc.; — dicitur primo, quod substantia corporis Christi est præsens cuiuslibet parti dimensionum, et cuiuslibet planeto, et linea, et superficie, et corpori, quibus substantia panis fuit præsens. Quodlibet enim predictorum fuit subjective, mediate vel immediate, in substantia panis, sicut in subiecto adequato vel inadæquato, ut diffuse dictum fuit, 2. *Sententia* (6). — Dicitur secundo, quod, posito quod corpus Christi non esset præsens alicui indivisibili de genere quantitatis aut substantiae, ex hoc non habetur quod non sit præsens alicui minori minimo sensibili: quia illud minimum non ideo dicitur minimum sensibile eo quod omne minus illo, aut ipsum, sit indivisibile, vel quia non habeat partes consensibiles; sed quia non est divisibile in partes seorsum sensibiles. — Dicitur tertio, quod haec consequentia, in qua argumentum fundatur, scilicet: *Corpus Christi est præsens minimo sensibili in Eucharistia, ergo corpus Christi in Eucharistia est sensibile*, non plus valet quam ista, *Anima rationalis est præsens digito sensibili, igitur ipsa est sensibilis in digito*. Cujus causa est: quia minimum sensibile offertur oculo modo extensivo; non autem corpus Christi præsens illi, cum non habeat modum quantitativum in ordine ad locum vel corpus extrinsecum, ut sepe dictum fuit prius; objectum autem oculi corporalis, est quid extensive oblatum oculo.

Ad tertium, negatur antecedens; quia probatio adducta de tactu, bona est, ut prius patuit (ad primum). Et ad improbationem illius probationis, dicitur quod omnis actio corporis, sive absoluta, sive respectiva, necessario presupponit contactum corporis ad corpus, ut predictum est (*ibid.*).

Ad quartum dicitur quod fundatur super illo falso male probato in primo argumendo, scilicet quod corpus, vel qualitas corporalis, possit immutare medium vel organum sensus, abstracta a quantitate, vel a modo quantitativo in ordine ad extrinsecum. Hujus enim oppositum sepe dictum fuit.

Ad quintum patet per idem: quia similitudo de

actione angeli et de actione corporis, vel qualitatis corporeæ, non valet, ut visum fuit in primo argumendo, vel in solutione primi argumenti.

Ad sextum dicitur quod visio corporalis, licet sit forma absoluta quantum ad illud quod dicit intrinsecum et in recto, importat tamen in obliquo respectum ad potentiam visivam, sicut ad suum efficiens et subjectum; est enim in illo, et ab illo. Et similiter importat respectum presentialitatis ad objectum proportionatum potentie, et eidem debite oblatum, puta sub modo extensivo. Et ideo, sicut per nullam potentiam posset fieri visio in oculo corporali, per quem videretur substantia abstracta a quantitate, vel color indivisibilis et penitus inexstensus; sic nulla visione corporali potest videri color vel coloratum habens modum existendi spiritualis, et sine coextensione respectu extrinseci mediæ vel organi; cujusmodi esse habet corpus Christi in Eucharistia, et ejus quantitas, et color. Unde de hoc Petrus de Palude, ultima quæstione hujus distinctionis, sic dicit: « *Corpus Christi oculo corporali mortali non videtur, secundum quod est in sacramento*. Et ratio est: quia est velatum speciebus opacis, ultra quas acutes visus figi non potest; etiam si esset localiter ibi, quasi in poris vel concavitate; sicut medicina cooperata nebula non videtur. — Ulterius, dico quod nec videtur oculo corporali immortali Virginis Beatae; dato etiam quod opacitas mediæ interpositi non impediret visum oculi glorificati, ut quod existentes in cœlo, sine motu, viderent damnatos in inferno, non obstante opacitatem terræ; quod fortè esset possibile, si non ab objecto speciem recipit oculus, sicut nunc, sed a Deo; quod hic esse non potest: quia esse sensatum non potest nisi quod sensibile est; sensibile autem proprium, non est sine sensibili communi, quia albedo non quanta, visibilis non est; idem autem est esse non quantum, et non habere modum quantitativum, quantum ad propositum; propter quod Christus quantus æqualiter (2) est in parva hostia, ac si non esset quantus, quia non est ibi modo quantitativo; ergo nec oculus glorificatus potest ibi videre corpus Christi, ubi non est modo quantitativo, sicut nec posset videre ipsum ubi esset sine quantitate. — Dico tertio, quod nec oculus Christi (quamvis Thomas hoc dicat, arguendo et solvendo: dicit enim quod, si esset extra, quod non videret se, nisi per miraculum; ubi tamen non assent quod existens intra, videat se, nec quod per miraculum). Et ideo primo ostendo quod non videt se, prout est extra. Quia oculus Christi est localiter extra, et intra sacramentaliter. Quia, licet oculus Christi, prout est extra hoc sacramentum, localiter, sit visivus, non tamen est visivus esse intellectualis, sed sensibilis. Cum ergo nullum esse substantiale sit

(2) *inexsistens*. — *inversensis* Pr.

(6) Cfr. præterea, 2. *Sententia*, dist. 2, q. 1, art. 3, § 2; et dist. 48, q. 1, art. 3, § 1.

(2) *æqualiter*. — *essentialiter* Pr.

sensibile nisi mediante accidentalí, ista mutatio, prout est substantialis, in nullo attingens accidens, non est sensibilis, maxime sensu exteriori (quod dico propter aliquos, qui dicunt substantiam individualē sentiri per cogitativam). Cum ergo accidens Christi non fiat hic nisi per substantiam, ergo nec suum fieri hic est cognoscibile nisi per fieri substantiae; quia eadem sunt principia essendi et cognoscendi. Ulterius autem, si mutatio non est sensibilis, nec per consequens mutatum esse, vel terminus ejus; ita enim est sensibilis dealbatio, sicut albedo; ergo, etc. Præterea, corpus Christi secundum esse sacramentale, non est praesens, sed absens oculo Christi secundum esse locale; ergo oportet quod ei presentetur. Aut ergo secundum modum qui est in sacramento; et ille non est modus visibilis, cum secundum figuram pyramidalem sit nata fieri visio, et non secundum modum indivisibilem. Aut representabitur aliter quam sit; et sic non videbitur prout est ibi. — Dico quarto, quod nec etiam videt se, prout est intra sacramentaliter. Et ratio est, quia non est ibi Christi oculus modo visivo; cum de ratione oculi, ut visivus est, sit extensio; oculus autem Christi non est in sacramento modo quantitatis, sicut nec corpus Christi; ita quod nec corpus Christi est hic modo visibili, nec oculus modo visivo, quia neutrum modo quantitatis, qui solus modus est visibilis et visivus. Et ideo oculus Christi, absolute loquendo, videbat Christum existentem in sacramento in cœna, et nunc etiam videt se existentem in sacramento. Sed non videt oculus Christi prout est extra localiter, vel intra sacramentaliter, vel quomodolibet aliter, Christum prout est in sacramento, id est, secundum esse sacramentale. Sed, secundum esse naturale, oculus Christi nunc extra hoc sacramentum, semper eum videre potest; secundum autem esse quod habet hic, non convenit sibi videre, nec videri. — Dico quinto, quod nec etiam per miraculum hoc fieri potest. Quia non potest fieri quod potentia feratur nisi in suum objectum. Cum ergo objectum visus sit quantitas, et qualitas, in quantum hujusmodi, non substantia; quantitas, que est hic per modum substantiae, est invisibilis. Et, licet Deus facere possit sine objecto speciem visibilem, tamen species quam Deus ficeret, si representaret corpus Christi prout est ibi, non representaret eum modo visibili. Unde, sicut non potest fieri per miraculum quod oculus videat spiritum, sic nec quod videat corpus secundum quod habet modum spiritus; nisi forte diceretur quod si aliquis sensus interior cognoscit substantiam, potest Deus facere quod sensus exterior cognosceret eam, vel quantitatem ut habet modum substantiae. Sed nec hoc sequitur; quia Deus non potest facere quod oculus videat sonum, quamvis sonus sit perceptibilis aliquo sensu. Præterea, cum corpus Christi sit ibi modo

spirituali, non corporali, quia non est ibi situatiter, nec localiter, nec hic, nec nunc, sub quibus conditionibus tantum sensus apprehendit, ideo est ibi insensibiliter. Non videtur etiam verum illud quod statim supponebatur, scilicet quod aliquis sensus, quantumcumque altus, possit substantiam apprehendere: quia substantia non est sensibile proprium, nec commune; quæ sola sentiuntur sensibus interioribus et exterioribus, excepta estimativa, quia illa sunt formæ accidentales, ut patet discurrendo per omnia. Nec etiam per estimativam; quia illa non apprehendit formas intentionales, sed tamen accidentales. Unde nullus sensus apprehendit quod quid est substantiae, quod est proprium objectum intellectus, ut dicitur, 3. de Anima (cap. 2). — Haec Petrus, in forma; et bene.

Sed in ejus dictis sunt duo dubia. Primum est, utrum substantia sit aliquo sensu interiori perceptibilis. Secundum est, quid senserit sanctus Thomas de hoc, utrum per miraculum oculus corporalis possit sentire corpus Christi secundum esse quod habet in Eucharistia.

De primo, sciendum est quod sanctus Thomas, in tractatu *de Principio individuationis*, qui incipit, *Quoniam duæ sunt potentiae cognoscitivæ*, etc., ad illud propositum sic dicit: « Nunc restat ostendere ubi separantur cognitio sensus et intellectus mutuo a se. Manifestum est enim intellectum incipere ubi sensus desinit. Sensus autem exteriores ipsa sensibilia accidentia, scilicet propria et communia, habent pro per se objectis. Quidditas autem particularis rei in particulari non spectat ut per se objectum ad istos sensus exteriores, cum quidditas ista substantia sit, non accidens; nec ad intellectum pertinet ut per se objectum ejus, propter suam materialitatem. Ideo quidditas rei materialis, in ipsa sua particularitate, est objectum rationis particularis, cuius est de intentionibus particularibus conferre; loco cuius in brutis est estimativa naturalis. Haec enim (α) potentia, per sui coniunctum cum intellectu, ubi est ipsa ratio que confert de universalibus, participat vim collativam; sed quia pars sensitiva est, non abstrahit omnino a materia; unde objectum suum proprium manet quidditas rei particularis materialis. Hoc autem non est eo quod ista potentia apprehendat materiam in se, cum ipsa non possit sciri nisi per analogiam ad formam; sed hoc est quia (ε) collatio de materia in ordine (γ) ad formam per materiam individuatam, spectat ad hanc potentiam; sicut collatio, sive consideratio de materia in communi in ordine ad formam speciei, spectat ad rationem superiorem. » — Haec ille. — Similia dicit, quadragesimana distin-

(α) *naturalis*. Haec enim. — *naturalis enim haec Pr.*

(ε) *hoc est quia*. — *ostendit quod Pr.*

(γ) *in ordine*. — *One. Pr.*

ctione Quarti, q. 2, art. 2: « Sensu corporali, inquit, aliquid sentitur dupliceiter: uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem sentitur illud quod per se passionem sensui corporali inferre potest. Per se autem potest aliquid passionem inferre sensui dupliceiter: aut sensui inquantum sensus est, aut huic sensui inquantum est hic sensus. Quod autem secundo modo infert passionem sensui, dicitur sensibile proprium: sicut color respectu visus, et sonus respectu auditus. Quia autem sensus, inquantum est sensus, utitur organo corporali, non potest in eo aliquid recipi nisi corporaliter; cum omne quod recipitur in aliquo, sit in eo per modum recipientis. Et ideo omnia sensibilia inferunt passionem sensui inquantum est sensus, secundum quod habent magnitudinem. Et ideo magnitudo, et omnia consequentia, ut motus et quies, numerus et hujusmodi, dicuntur sensibilia communia, per se tantum (α). Per accidens autem sentitur illud quod non infert passionem sensui, neque inquantum est sensus, neque inquantum est hic sensus, sed conjungitur (β) his que per se sensui inferunt passionem; sicut Socrates, et filius Diaris, et amicus, et alia hujusmodi, que per se cognoscuntur in universalis intellectu, in particulari autem virtute cogitativa in homine, estimativa autem in aliis animalibus. Hujusmodi autem tunc sensus exterior dicitur sentire, quamvis per accidens, quando ex eo quod per se sentitur, vis apprehensiva, cuius est illud cognitionem per se cognoscere, statim, sine dubitatione et discursu, apprehendit; sicut videmus aliquid vivere ex hoc quod loquitur. Quando autem aliter se habet, non dicitur sensus illud videre, etiam per accidens, etc. » — Haec ille, cum multis aliis facientibus ad materialem de insensibilitate corporis Christi in Eucharistia. — Similia dicit, 1 p., q. 85, art. 3, ubi sic ait: « Primum secundum sensum judicamus magis commune quam minus commune, et secundum locum, et secundum tempus. Secundum locum quidem: sicut cum aliquid videtur a remotis, prius deprehenditur esse corpus quam deprehendatur esse animal, et prius deprehenditur esse animal quam deprehendatur esse homo, et prius deprehenditur esse homo quam deprehendatur esse Socrates vel Plato. Secundum tempus autem: quia puer a principio prius distinguit hominem a non homine, quam distinguit hunc hominem ab alio homine; et ideo pueri in principio appellant omnes homines patres, posterius autem determinant unum quodque, ut dicitur, 1. *Physicorum* (t. c. 5). » — Haec ille. — Item, q. 86, art. 1, in solutione secundi, dicit consimilia: scilicet quod pars sensitiva formalis propositiones particulares, ut istam, *Socrates est homo*; nec intellectus tales formalis, nisi cum admitt-

niculo partis sensitivae. Et hoc modo intelligendum est quod dicit in principali solutione articuli (α), scilicet quod intellectus tales propositiones indirecte format, per reflexionem ad phantasmatum; quia constat quod nullum phantasma est subjective in intellectu possibili, nec aliqua species aut conceptus indivisibilis Soeratis ut Socrates est. Ex quibus, et multis aliis, appareat ipsum in predictis locis sensisse quod quidditas substantiae materialis, et ipsae substantiae particulares, possunt cognosci et percipi sensu interiori, qui dicitur virtus cogitativa, seu ratio particularis; talia enim objecta simul includunt substantiam cum accidentibus. Econtra autem videtur, per dicta in probatione prime conclusionis, ipsum in *tertia parte* sensisse substantiam nullo sensu interiori aut exteriori, sed solo intellectu, percipi posse. Sed non est vere contradictio. Quia, in probatione prime conclusionis adducta de *tertia parte*, loquitur de substantia seorsum ab accidentibus accepta, vel abstracta a modo essendi quantitativo, et accepta secundum proprium modum essendi substantiae; constat enim quod substantia sic accepta solo intellectu perceptibilis est. Sed in aliis locis loquitur de substantia physica, secundum proprium modum naturalem essendi accepta, scilicet quantitativo et qualitativo, et sine abstractione predicta; sic autem accepta includit sensibilia communia, et propria, et per accidens; unde potest percipi sensu interiori, ut dictum est. De hoc Albertus, in commento super 4. *Physicorum*, tractatu 4, cap. 6, concorditer ad predicta. Unde non est proprio contradictio in predictis.

Ad secundum dubium patebit in sequentibus.

Ad septimum dicendum est quod sanctus Thomas, prima questione presentis distinctionis, art. 4, q^a 4, arguit sic, primo loco: « Ipse Christus sub speciebus existens, videt seipsum ibi corporali oculo. Sed corpora glorificata conformantur corpori ejus, ut dicitur, *Philipp.* 3 (v. 21). Ergo et alius oculus glorificatus, puta Virginis, posset hoc ipsum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, si oculus Christi esset extra species sacramenti, non videret suam substantiam intra species contentam, ex natura glorie, nisi miraculose. Et ideo non oportet quod oculus glorificatus videat ipsum, nisi forte per miraculum. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione secunda questione, sic dicit: « Posset fieri, divino miraculo, quod similitudo corporis Christi fieret in oculo, sicut naturaliter fieret, si corpus Christi praesens esset. Nec est deceptio: quia non fit nisi ad instructionem fidei, et devotionem excitandam. » — Haec ille. — Ex quibus videretur ipsum sensisse quod per miraculum posset fieri quod aliquis oculus corporalis videret corpus Christi prout est in sacra-

(α) *tantum*. — *tamen* Pr.

(β) *conjungitur*. — *conjunguntur* Pr.

(α) *articuli*. — *argumenti* Pr.

mento; cuius oppositum predictum fuit. — Sed dicendum quod sanctus Thomas ibidem loquitur tantum dubitative et opinative, sine firma assertione; quod immut modis suis loquendi cum *ly forte*. — Potest etiam dici quod divino miraculo posset fieri quod oculus glorificatus videret corpus Christi in sacramento, non tanquam visible per se, sed per accidens, scilicet videndo circa sacramentum aliqua corporalia et visibilia signa, testificantia existentiam corporis Christi sub sacramento. Et ad hunc sensum concedit, in suo simili, quod post resurrectionem oculus corporalis videbit divinam essentiam. Unde, 1 p., q. 42, art. 3, arguit sic, secundo loco: Augustinus dicit, in fine *de Civitate Dei* (lib. 22, c. 29): *Vis praeceilentior erit oculorum, scilicet glorificatorum: non ut aerius videant quam quidam perhibentur videre serpentes, aut aquilæ, qui nil aliud possunt videre quam corpora; sed ut videant incorporalia.* Quicunque autem potest videre incorporalia, potest elevari ad videndum Deum. Igitur oculus glorificatus potest videre Deum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod Augustinus loquitur inquirendo in illis verbis, et sub conditione. Quod patet ex ipso quod premittitur: *Longe itaque alterius potentiae erunt, scilicet oculi glorificati, si per eos videbitur incorporeæ natura.* Sed postmodum hoc determinat, dicens: *Valde credibile est, sicut nos visuros mundana tunc corpora celi novi (2) et terræ novæ, ut Deum ubique præsentem, et universa corpora gubernantem, clarissima perspicuitate videamus; non sicut nunc invisibilia Dei per ea que facta sunt, intellecta conspiciuntur, sed sicut homines, mox ut aspieimus, non credimus vivere, sed videmus.* Ex quo patet quod hoc modo intelligit oculos glorificatos visuros Deum, sicut nunc oculi nostri vident alieujus vitam. Vita autem non videtur oculo corporali, sicut per se visible, sed sicut sensibile per accidens; quod quidem per visum non cognoscitur, sed statim cum sensu aliqua alia virtute cognoscitiva. Quod autem, statim visis corporibus, divina presentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit: scilicet ex perspicuitate intellectus, et ex resplendentia divinae claritatis in corporibus innovatis. » — Hec ille. — Simile ponit, quadragesima nona distinctione *Quarti*, q. 2, art. 2: « Deus, inquit, nullo modo potest videri visu corporali, aut aliquo alio sensu sentiri, sicut per se visible, nec hic, nec in patria. Quia, si a sensu removeatur id quod convenit sensui inquantum sensus est, non erit sensus; et similiter, si a visu removeatur id quod est visus inquantum est visus (6), non erit visus. Cum ergo sensus percipiat magnitudinem, et

visus, inquantum est talis sensus, percipiat colorrem, impossibile est (2) quod visus percipiat aliquid quod non est color nec magnitudo, nisi sensus dicetur aequivoce. Cum ergo visus et sensus sit futurus idem specie in corpore glorificato, non poterit esse quod divinam essentiam videat sicut per se visibile. Videbit autem eam sicut visibile per accidens: dum, ex una parte, visus corporalis tantam gloriam Dei inspiciet in corporibus, et præcipue gloriosis, et maxime in corpore Christi; et, ex alia parte, intellectus tam clare videbit Deum, quod in rebus corporalibus visis Deus percipietur, sicut in locutione percipitur vita. Quamvis enim tunc intellectus non videat Deum ex creaturis corporaliter visis, videbit tamen Deum in illis, etc. » — Hæc ille. — Similiter potest dici in proposito, de oculo glorificato, respectu substantiæ corporis Christi in Eucharistia. — Potest tertio dici, quod sanctus Thomas in *Scripto* fuit illius opinionis; sed in tertia parte *Summa* aliter opinatus est. Quod potest patere, quia ad predictum argumentum aliter respondet, nullam de miraculo faciendo mentionem. Dicit enim sic, 3 p., q. 76, in solutione secundi: « Oculus corporalis Christi videt seipsum sub sacramento, quantum pertinet ad intellectum. Nec tamen est simile de alio oculo gloriose; quia et ipse oculus Christi est sub sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus glorus. » — Hec ille. — Ubi patet expresse quomodo oculus corporalis Christi dicitur se videre sub sacramento, quantum pertinet ad intellectum: hoc est dictu, quod oculus corporalis videt corpus Christi sub sacramento tanquam visibile per accidens, per se tamen visum ab intellectu, eo modo quo dictum est supra, oculum corporalem videre vitam, et divinam essentiam visurum post resurrectionem et innovationem mundi.

Et haec sufficient ad objecta Scoti contra primam conclusionem.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumentum Scoti. — **Ad primum** contra secundam conclusionem, dicitur, negando minorem. Licit enim corpus Christi ut in Eucharistia non sit objectum beatificum; tamen, secundum præsentem cursum gratiae et glorie, includitur in objecto beatifico: hoc est dictu, quod objectum beatificum, inquantum hujusmodi, representat videnti ipsum corpus Christi secundum quod est in Eucharistia, et consimiliter res aliorum sacramentorum; licet, secundum potentiam Dei absolutam, aliter esse posset; nam, dato quod sola divinitas videretur clare, et nulla creatura in ea videretur, adhuc talis visio esset beatifica. Quod autem beati videant res contentas in sacramentis, potest haberi tum ex pro-

(a) novi. — Om. Pr.

(6) inquantum est visus. — Om. Pr.

(2) est. — Om. Pr.

bationibus conclusionum, tum ex dictis sancti Thome, 2^a 2^o, q. 4, art. 8, ubi sic dicit: « Illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita aeterna perfruemur, et per quae deducimur in vitam aeternam. Duo autem nobis ibi videnda proponuntur: scilicet occultum divinitatis, cuius visio nos beatos facit; et mysterium humanitatis Christi, per quem in gloriam filiorum Dei accessum habemus, etc. » Item, q. 4, art. 1: « Fides dicitur *substantia sperandarum rerum* (*ad Hebreos*, cap. 11, v. 1), quia scilicet prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quae virtute continet omnes res sperandas. In hoc enim speramus beatificari, quod videbimus aperta visione veritatem, cui per fidem adhaeremus. » — Hac ille. — Item, 1^a 2^o, q. 67, art. 5, ostendit quod nihil fidei remanebit in patria: sed omnia credita, ibi erunt clare visa. Item, q. 403, art. 3: « Exterior cultus proportionari debet interiori cultui, qui consistit in fide, spe et charitate. Unde, secundum diversitatem interioris cultus, debuit diversificari cultus exterior. Potest autem distingui triplex status interioris cultus. Unus quidem, secundum quod habetur fides et spes de bonis coelestibus, et de his per quae in coelestia introducuntur; de utrisque quidem sicut de quibusdam futuris; et talis fuit status fidei et spes in veteri lege. Alius autem est status interioris cultus, in quo habetur fides et spes de coelestibus bonis, sicut de quibusdam futuris, sed de his per quae introducuntur in coelestia, sicut de presentibus vel preteritis; et iste est status novae legis. Tertius autem status est, in quo utrapque habentur ut presentia, et nihil creditur ut absens, neque speratur ut futurum; et iste est status beatorum. In illo ergo statu beatorum nihil erit figurale ad divinum cultum pertinens, sed solum *gratiarum actio et vox laudis* (*Isaie* 51, v. 3). » — Hac ille. — Item, 3. *Sentent.*, dist. 31, q. 2, art. 1, in solutione prime questioenule, sic dicit: « In fide est cognitio quedam, et modus cognoscendi, quia cognoscit in speculo et in enigmate. Modus autem imperfectionis est, et obscuritatem importat. Unde, cum gloria adveniens omnem obscuritatem et imperfectionem tollat, tollet quidem modum fidei, quantum ad modum cognoscendi; sed remanebit cognitio eorum quorum est fides, non quidem iam enigmata, sed clara. » — Hac ille. — Similia dicit, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 2, q. 5, in solutione primi, ubi sic dicit: « Sicut dicit Dionysius in *Ecclesiastica Hierarchia* (cap. 5), status novae legis medius est inter statum veteris legis et statum celestis patriae. Et ideo ex qua sunt novae legis, sunt veritas respectu signorum veteris legis; et manifestatio respectu manifeste et plene cognitionis veritatis, que erit in patria. Et ideo oportet adhuc quod in nova lege maneat aliqua figura. Sed in patria, ubi erit plenaria perceptio veritatis, omnes figura

cessabunt. » — Hec ille; et loquitur de figuris sacramentorum. Idem dicit, 3 p. q. 61, art. 4, in solutione primi: « Sicut, inquit, dicit Dionysius, 5 cap. *Ecclesiastica Hierarchia*, status novae legis medius est inter statum veteris legis, cuius figura implentur in nova lege, et statum gloriae, in qua omnis nude et perfecte manifestabitur veritas; et ideo tunc nulla erunt sacramenta. Nunc autem, quaudiu per *speculum in enigmate* cognoscimus, ut dicitur, 1. *Corinth.* 13 (v. 42), oportet nos per aliqua signa sensibilia in spiritualia devenire; quod pertinet ad rationem sacramentorum. » — Hec ille. — Ex quibus apparet quod de omnibus de quibus nunc est fides, in gloria erit manifesta visio. Item, quod omnia figurata in sacramentis, tunc manifeste videbuntur.

Dicitur secundo principaliter, quod non aequaliter pertinet ad objectum beatificum res sacramenti baptismi, vel penitentiae, sicut res contenta in Eucharistia. Tum quia res contenta in Eucharistia, propinquius se habet ad mysterium Christi, de quo principaliter est fides, quam res sacramenti baptismi, vel penitentiae, ut de se patet. Tum quia res, puta sacramenti Eucharistiae, continetur in Eucharistia; non sic res baptismi, vel penitentiae, que non continetur actualiter, sed solum virtusliter in sacramento; formaliter vero continetur in suscipiente, si sit dispositus. Tum quia sacramentum Eucharistiae nunquam frustratur sua re, cum semper confineat Christum; alia vero sacramenta possunt frustrari ex ratione suscipientis. Tum quia Eucharistia est principalissimum inter omnia sacramenta; et ideo perfecta cognitione contenti in ipsa, et modi quo corpus Christi in ea continetur, magis pertinet ad cognitionem beatificam glorie, sicut nunc magis pertinet ad fidem vite. Tum quia res baptismi, vel penitentiae, aliquando dependet dispositio ex cognitione et voluntate suscipientis, que sunt occulta quedam, reservata divine cognitioni; et ipsis cognoscentis vel volentis, et omnibus aliis ignota, nisi per specialem vel generalem revelationem Dei. Ex quibus patet falsitas illius assumptionis, dicentis quod aequum pertinet ad cognitionem beatificam res unius sacramenti sicut alterius.

Dicitur tertio, quod ultimum dictum arguentis stare potest, scilicet quod ad beatitudinem non requiritur quod beatus videat existendum corporis in sacramento, per visionem ejus in proprio genere, hoc est, per visionem factam per medium vel speciem creatam, et non per ipsum Verbum, que dicatur visio vespertina, et non matutina. Verumtamen oportet quod quilibet homo beatus habeat de hoc aliquam cognitionem, cum de eodem cognitionem fidei habuerit in via, nec ad veritatem quod aliquod credibile cognitione per fidem theologicam in via, sit a beato oblitum, vel ignoratum, aut totaliter nesciutum. Cum ergo de talibus non habeat cognitionem

anigmaticam, restat quod habet apertam visionem. — Verumtamen contra predicta potest instari: quia non appareat quod quilibet beatus homo purus videat in Verbo aliquid, quod non omnes angeli vident in Verbo; sed non omnes angeli vident in Verbo existentiam corporis Christi in Eucharistia; ergo nec quilibet purus homo beatus. Major videtur nota. Sed minor probatur: quia non omnes angeli viderunt in Verbo, a principio sue beatitudinis, existentiam corporis Christi in sacramento Eucharistiae, nec alia sacramentorum mysteria; ergo nec nunc vident talia in Verbo. Tenet consequenter per ea quae dicta sunt, 3. *Sententia*: cum de scientia animae Christi tractaretur, ubi dictum est quod non est possibile beatum videre in Verbo plura nume quam prius, nisi videat clarius ipsum Verbum nume quam prius, et, consequenter, nisi fiat beatior; quod non conceditur. — Ad hoc respondet Petrus de Palude, ubi supra dist. 10, q. 4, dicens: « Oeulus intellectualis beatus, tam angeli quam hominis, videt clare existentiam corporis Christi in sacramento. Homini quidem quia quod audiret hie et creditit, illie clare videbit, secundum illud (Isaie 7, v. 9), *Nisi credideritis, non intelligetis* (2), et secundum illud (Psalm. 47, v. 9), *Sicut audierimus, sic vidi- mis*; et ceteri idem est de oculo intellectuali angelii: quia hierarchia nostra illuminatur a hierarchia celsti; a qua (6) differt in lucis et anigmate. Unde ipsi clare vident omnia, de quibus credendis nos illuminant. Credibilius nobis et eis pro statu viae communia, sicut Trinitatem, et hujusmodi, meruerunt ipsi videre, sicut et nos. Credibilius autem nobis propria, sicut articulos incarnationis, vident per revelationem. Unde de omnibus mysteriis gratiae Dei, de quibus nos illuminant, habent gratuitam visionem». — Haec Petrus. — Mili videtur quod omnes angeli beati, a principio sue beatitudinis viderunt in Verbo omnia mysteria gratiae, de quibus est principaliter fides hominum viatorum, et de quibus angeli viatores illuminant, sicut sunt articuli fidei et sacramenta ad mysterium incarnationis Christi pertinentia. Alia vero mysteria gratiae, de quibus non est principaliter fides, sed pertinent ad instructionem vel promissionem aliquius personae vel communilitatis particularis, possunt aliqui angeli cognoscere non in Verbo, sed in proprio genere; et de talibus noviter illuminari per superioros angelos, qui talia vident in Verbo.

Et hoc sufficit ad objecta contra secundum conclusionem.

(2) In Vulgata legitur: *Si non credideritis, non perma- nebitis;*

(6) quia: quo;

§.3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Scoti. — Ad primum contra tertiam conclusionem, dicitur primo, quod minor est simpliciter falsa. Quia nec intellectus angelicus, nec animae separatae se habent ad omnia intelligibilia sicut illa sunt intelligibilita in se: nam si ita esset, tunc quilibet talis intellectus prius est perfectius intelligeret. Deinde quam seipsum, et perfectiora in entibus quam imperfectiora; quod est manifeste falsum. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 8, art. 3, arguit sic, secundo loco: « Quod potest intelligere minus, potest intelligere magis. Sed essentia divina est maxime intelligibilis, cum sit a materia immunit, ex quo contingit aliquid esse intelligibile actu. Cum igitur (2) intellectus angelii naturali cognitione possit alia intelligibilia cognoscere, multo fortius poterit ex puris naturalibus intelligere divinam essentiam. » — (Arg. 3) Sed dicitur (6) quod, licet divina essentia sit in se maxime intelligibilis, non tamen est maxime intelligibilis intellectui angelico. — Sed contra: Illud (7) quod est magis visibile in se, non esse magis (8) visibile nobis, causa est defectus nostri visus. Sed in intellectu angelico non est aliquis defectus; cum angelus sit speculum purum, clarissimum, incontaminatum, ut dicit Dionysius, 4 cap., *de Divinis Nominibus*. Ergo illud quod est magis intelligibile in se, est magis intelligibile angelo. » — Ecce argumentum cum replica. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, quamvis divina essentia sit in se maxime cognoscibilis, tamen non est maxime cognoscibilis intellectui cretato, quia est extra genus ipsius. » — Ad tertium, inquit, dicendum quod intellectus angelicus dicitur esse speculum purum et incontaminatum et sine defectu, quia non patitur defectum intelligibilis luminis, considerata natura sui generis, sicut patitur intellectus humanus, in quo intelligibile lumen obumbratur in tantum ut necesse sit aphantasmatis accipere, et cum continuo et tempore, et discurrendo de quo in aliud (propter quod Isaiae dicit, quod ratio oritur in umbra intelligentie); et ideo potentia intellectiva Iesu potest intelligere omnem formam intelligibilem creatam, que est sui generis. Sed intellectus angelicus comparatus ad essentiam divinam, quae est extra genus sumum, invenitur defectivus et temibrosus; et ideo deficit a visione divina essentiae, quamvis ipsa sit in se maxime intelligibilis. » — Haec illa. — Item, ibidem, in solutione quarti, sic dicit: « Pro tanto substantia intelligibilis, que in se est maxime intel-

(2) igitur: tamen Pr.

(6) dicitur: dicebat Pr.

(7) Illud: Eros Pe.

(8) magis: maxime Pr.

ligibilis, sit nobis minus intelligibilis, quia excedit formam a sensu abstractam, qua naturaliter intelligimus. Et similiter, immo⁽¹⁾ multo amplius, essentia divina excedit formam intelligibilem creatam, qua intelligit intellectus angeli. Et ideo intellectus angeli minus intelligit essentiam divinam, quamvis sit magis intelligibilis; sicut et intellectus noster minus intelligit essentiam angeli, quamvis sit magis intelligibilis, quam res sensibiles. — Haec ille, ibi, cum multis similibus. — Ex quibus patet quod intellectus angelicus non ita se habet ad omnia intelligibilia, sicut sunt intelligibilia in seipsis, ut prius dicebatur.

Dicitur secundo, quod, concessa conclusione argumenti, quae potest inferri debite ex premissis, non aliud habetur nisi quod intellectus angelicus potest intelligere substantiam corporis Christi existentem sub specie panis; non tamen concludit quod intelligat illam secundum esse quod habet sub sacramento, nec modum essendi sub illo et in illo. Et ideo responsio quam arguens recitat, bona est, si recte intelligatur, ut aequivaleat huic dicto. Licet enim non legam in sancto Thoma illam in forma distinctionem de notitia intuitiva et abstractiva, haberi tamen potest in aequivalenti ex dictis ejus: *Et dicamus quod alia est notitia visionis, alia notitia simplicis intelligentie; prima dicatur intuitiva, secunda vero abstractiva.* Hanc autem ponit, 1 p., q. 44, art. 9: « *Horum, inquit, que actu non sunt, est attendenda quedam diversitas.* Quadam enim, licet non sint nunc in actu, tamen fuerunt vel erunt; et ista omnia dicitur Deus scire scientia visionis; quia, cum intelligere Dei, quod est ejus esse, aeternitate mensuratur, que, sine successione existens, totum tempus comprehendit, praesens intuitus Dei fertur in totum tempus, et in omnia que sunt in quocunque tempore, sicut in sibi subjecta praesentialiter. Quadam, vero, sunt in potentia Dei, vel creature, que tamen nec sunt, nec erunt, nec furgant; et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentie; quod ideo dicitur, quia ea que videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem. » — Haec ille. — Eamdem distinctionem ponit, 1. *Sentent.*, dist. 39, q. 1, art. 2; et 3. *Sentent.*, dist. 44, q. 1, art. 2, in solutione secundie questionis; et 4. *Sentent.*, dist. 49, q. 2, art. 5, ubi sic dicit: « *Deus, videndo essentiam suam, cognoscit omnia que sunt, vel erunt, vel fuerunt.* Et haec dicitur cognoscere notitia visionis; quia, ad similitudinem visionis corporalis, cognoscit ea quasi praesentia. Cognoscit insuper, videndo essentiam suam, omnia que potest facere, quamvis nunquam fecerit nec facturus sit; alias non perfecte cognosceret potentiam suam. Et haec dicitur cognoscere notitia simplicis intelligentie. » — Haec ille. — Similia ponit, *de Veritate*, q. 8, art. 4, et

q. 20, art. 4; et multis aliis locis. Ex quibus potest haberi quod illa notitia intellectiva dicitur visionis scientia, per quam cognoscitur res intellecta ut praesens, secundum esse suum et modum essendi, ipsi intelligenti; hoc autem alii dicunt notitiam intuitivam. Notitiam autem intellectivam simplicis intelligentiae vocat sanctus Thomas illam per quam intelligitur essentia rei, non intellecta ejus existentia, vel praesentialitate, aut modo existendi extra ipsum intelligentem; et hanc vocant alii notitiam abstractivam. Sic itaque intelligendo distinctionem de notitia intuitiva et abstractiva, conceditur responsio per argumentum recitata, scilicet quod angelus naturali cognitione potest cognoscere substantiam corporis Christi que est sub sacramento, abstractive, seu notitia simplicis intelligentie; non autem intuitive, vel scientia visionis; quia non videt corpus Christi esse sub sacramento illo modo supernaturali quo est ibi, licet videat modum naturalem quo est extra sacramentum. Cujus ratio est, quia angeli non cognoscunt plene mysteria gratiae, naturali cognitione. De hoc sanctus Thomas, 1 p., q. 57, art. 5, sic dicit: « *In angelis est duplex cognitio. Una quidem naturalis, secundum quam cognoscunt res, tum per essentiam suam, tum etiam per species innatas.* Et haec cognitione mysteria gratiae cognoscere non possunt. Haec enim mysteria ex pura Dei voluntate dependent. Si autem unus angelus non potest cognoscere cogitationes alterius, ex voluntate ejusdem dependentes, multo minus potest cognoscere ea que ex Dei voluntate dependent. Et sic argumentatur Apostolus, 1. *Corinth.*, cap. 2 (v. 11): *Quae sunt hominis, nemo novit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita et quae sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei.* » — Est autem alia angelorum cognitio, quae eos beatos facit, quia vident Verbum, et res in Verbo. Et haec quidem visione cognoscunt mysteria gratiae, non quidem omnia, nec aequaliter, sed secundum quod Deus eis voluerit revelare, secundum illud Apostoli, 1. *Corinth.*, cap. 2 (v. 10): *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* » — Haec ille.

Dicitur tertio, quod replica contra responsionem datum, non valet. Quia, concesso quod intellectus angelicus naturali cognitione possit cognoscere praesentiam et absentiam panis sub accidentibus Eucharistiae, non tamen presentiam substantiae corporis Christi sub eisdem. Nec potest illud ibi intueri, sicut intuebatur ibi substantiam panis: quia existentiam panis sub speciebus erat modus panis naturalis existendi sub illis, non autem modus quo corpus Christi est sub eisdem. Nec sequitur, si corpus Christi est intuibile in se ab angelo, quod modus quo est sub sacramento, sit intuibilis ab eodem. Et sic angelus non intuetur corpus Christi ut est in sacramento, sed solum ut est in celo, vel abstrahendo a qualibet existentia.

(1) *immo.* — *Oin. Pe.*

Ad secundum dicitur primo, quod prima pars antecedentis est similiter falsa: quia nullus angelus naturali cognitione sua, per sola principia intrinseca, potest cognoscere intuitive et in particulari cogitationes alterius angelii, ut diffuse tractatum fuit in 2. *Sentent.* (dist. 8), et prout probat sanctus Thomas in multis locis, ubique loquitur de illa materia (2); licet possit cognoscere tales cogitationes abstractive, et in universalis, et conjecturaliter, per signa exteriora. Est etiam dubium, utrum angelus naturaliter cognoscet gratiam aut charitatem suam, vel alterius angelii, quidquid sit de sua, loquendo de notitia intuitiva vel visionis. Nec valet probatio assumpti de duplice praesentia: — Tum quia arguens false supponit quod objectum notitiae intuitivae non sit presens per speciem intellectui angelico, aut anime separatae, nec illa notitia fiat per medium speciem inter objectum et intellectum, sed quod ipsum objectum sit presens in sua reali existentia, et per illam moveat intellectum ad sui notitiam; objectum autem abstractivae sit (6) presens per speciem, quae immediate moveat intellectum ad notitiam objecti. Hoc enim falsum est: quia nullum extrinsecum movet intellectum angelicum immediate; immo cuiuslibet notitiae angelicae species intelligibilis, ab objecto distineta, est per proximum productivum una cum potentia intellectiva; nisi quando angelus intelligit seipsum vel Deum naturaliter, vel quando videt divinam essentiam beatificem; tunc enim essentia angeli, vel essentia divina, tenet locum speciei intelligibilis et actus primi. Et ista determinat diffuse sanctus Thomas, tam in *Summa*, quam in *Scriptis*, quam in *Quaestionibus disputatis* (7). Tum etiam quia illud falsum assumit, scilicet quod omne objectum potens (8) presentari vel esse presens angelico intellectui abstractive, possit esse sibi presens intuitive naturaliter. Hoc enim falsum est de futuris contingentibus, que potest angelus cognoscere abstractive in causis suis, non tamen intuitive, quamvis futura sunt, ut ostendit sanctus Thomas, I p. q. 57, art. 3, et multis aliis locis (2). Similiter falsum est de cogitationibus et volitionibus aliorum angelorum, aut hominum, quas angelus non potest naturaliter cognoscere intuitive, sed tantum abstractive, ut patet per eundem sanctum Thomam, I p., q. 57, art. 4, et *de Veritate*, q. 8, art. 13, et *de Malo*, q. 16, art. 8, et multis aliis locis, in quibus ostendit quod angelus naturaliter non potest eas cognoscere

(2) Cfr. praesertim I p., q. 57, art. 4; *de Malo*, q. 16, art. 8; *de Veritate*, q. 8, art. 13.

(3) *sit* — *potens* Pr.

(4) Cfr. praesertim I p., q. 56, 2. *Sentent.* (dist. 3, q. 3), et *de Veritate*, q. 8.

(5) *potens* — *potentia* Pr.

(6) Cfr. praesertim *de Veritate*, q. 8, art. 12; et *de Malo*, q. 16, art. 7.

secundum quod in se sunt, quod est cognoscere intuitive, sed prout sunt in suis causis, vel manifestantur exterius per signa, quod est cognoscere abstractive. Et multa alia exempla dari possunt, in quibus illud assumptum fallit. — Tum etiam quia argumentum supponit aliud falsum, scilicet quod objecta exteriora moveant intellectum angelicum ad sui cognitionem, causando in eo actum primum vel secundum. Hoc enim falsum est: nam omnia que angelus naturaliter cognoscit, cognoscit per essentiam suam, vel per species innatas et concreatas, ut ostendit sanctus Thomas in multis locis (2). — Tum etiam quia species concreatae angelo non aequaliter possunt praesentare substantias et accidentia per accidens talibus substantiis, potissimum accidentia supernaturaliter eis contingentia, vel a sola voluntate Dei aut creature dependentia, non habentia naturalem et necessarium ordinem ad substantias vel aliquam causam naturalem universi, ut ostendit sanctus Thomas, locis preallegatis, potissimum *de Malo*, q. 46, art. 8, ubi arguit sic, decimo-septimo loco: « Sicut dicit Augustinus, 2. *Super Genes. ad litteram* (cap. 8), angelus per species quas in sui creatione receperunt, omnia que sunt infra eos cognoscunt. Sed cogitationes (6) nostrae sunt infra eos, secundum ordinem nature; anima enim est inferior angelo. Ergo daemones per illas species innatas possunt cognoscere cogitationes hominum. » Eece argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod Augustinus intendit loqui de naturis inferioribus, quas angeli naturaliter cognoscunt per formas innatas, non autem de cogitationibus voluntariis (7). » — Hae ille. — Item, *de Veritate*, q. 8, art. 13, sic dicit: « Motus voluntatis alterius non potest angelo notus esse naturaliter cognitione: quia angelus naturaliter cognoscit per formas inditas, que sunt similitudines rerum in natura existentium; motus autem voluntatis non habet dependentiam nec connexionem ad aliquam causam naturalem, sed solum ad causam divinam, que in voluntate sola imprimere potest. Unde motus voluntatis, et cordis cogitatio, non potest cognosci in aliquibus similitudinibus rerum naturalium, sed solum in divina essentia, etc. » — Hac ille. — Sed queret aliquis: ex quo unus angelus per species quas habet apud se, non potest naturaliter cognoscere intuitive cogitationes alterius, quomodo ergo alius angelus potest ei loqui, vel revelare cogitationem vel volitionem suam? Dicitur quod hoc fit non per impressionem novarum specierum, nec per hoc quod alius angelus causet cognitionem aliquam in alio, sed per hoc quod angelus loquens alteri ordinat

(2) Cfr. praesertim I p., q. 55, art. 1 et 2, q. 56, art. 1 et 2, q. 89, art. 1, 2 et 3, et *de Veritate*, q. 8, art. 6, 7, 8 et 9.

(6) *cogitationes* — *cognitiones* Pr.

(7) *voluntarius* — *voluntatis* Pr.

conceptum suum ad manifestandum alteri suam voluntatem: statim enim quod conceptus unius ordinatur sic ad alium, innoscet alteri, ut ostendit sanctus Thomas, I p., q. 107, art. 4; et *de Veritate*, q. 9, art. 4 et 5. Nec oportet quod causetur in audiente nova species: quia per species concreatas diversimode ordinatas, vel per confortationem luminis alterius angeli sibi loquentis et illuminantis, potest aliquid noviter cognosceri, quod prius non poterat; sicut in suo simili ostendit sanctus Thomas, 2^a 2^o, q. 473, art. 2, loquendo de revelatione prophethica; et *de Veritate*, q. 12, art. 7; et multis aliis locis. Et sicut est dictum de revelatione cogitationum, ita dicendum est de revelatione secretorum sacramentalium, ad quae naturalis angeli cognitione non potest pertingere, nisi per revelationem eis factam per visionem Verbi, vel per species noviter impressas in eis, a Deo concreatas. — Et hoc sufficit ad secundum Scoti.

Ad tertium faciliter patet solutio per predicta. Dicitur enim primo, quod distinctio naturalium et supernaturalium non solum est per respectum ad agens aliud et aliud, immo quandoque est per specificam distinctionem essentiarum horum et illorum; sicut patet de gratia et gloria, que distinguuntur ab omnibus effectibus naturalibus specificis; nec aliquod agens naturale potest producere aliquid idem specie cum charitate aut gratia gratum faciente, vel cum septem donis Spiritus Sancti, aut cum gloria animae vel corporis, ut de se patet. Conceditur tamen quod quidquid producitur a causa naturali, potest produci a causa supernaturali. Nec semper quidquid producitur a sola causa supernaturali, dicitur supernaturale vel miraculosum, nisi in tribus casibus quos ponit sanctus Thomas, I p., q. 105, art. 8: « scilicet quando effectus productus excedit facultatem nature quoad substantiam facti (sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, vel quod corpus humanum glorificetur); quod natura nullo modo potest facere: secundo, quando effectus excedit facultatem nature, non quantum ad illud quod fit, sed quantum ad illud in quo fit (sicut resuscitatio mortuorum, vel illuminatio cæcorum: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; et potest præstare visum, sed non in cæco); tertio, quando excedit facultatem nature, quantum ad modum (2) et ordinem faciendi (sicut cum aliquis subito per divinam potentiam a febre curatur, absque curatione (3) et consueto cursu nature in talibus; et cum mare statim condensatur in pluvias, virtute divina, absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliae). » — Dicitur secundo, quod, posito quod aliquis effectus supernaturalis quandoque sit imperfe-

cior aliquo effectu naturali, et se habeat ad illum in substantia ad accidens, non tamen sequitur quod, si angelus cognoscit naturaliter effectum naturalem qui est perfectior, quod ideo cognoscat effectum supernaturalem qui est imperfectior. Cujus causa est, quia angelus habet speciem directe representantem naturalem, et non supernaturalem, vel aliquam substantiam, et non ejus accidentia: sicut patet de substantia angeli, et ejus naturalibus potentiis, id est, intellectu et voluntate, que sunt naturaliter nota cuilibet angelo; non tamen ejus cogitationes, aut volitiones, aut habitus supernaturaliter infusi. Et de hoc diffuse loquitur sanctus Thomas, ubi supra, I p., q. 57, art. 4; *de Veritate*, q. 8, art. 13; *de Malo*, q. 16, art. 8. — Dicitur tertio, quod, secundum predicta, nullus angelus habet species concreatas representantes directe omnes effectus naturales, hoc est, a causis naturalibus producibilis, praesertim arbitrio libero, quod est causa naturalis, hoc est, non supernaturalis (licet non dicatur naturalis, distinguendo naturale contra voluntarium liberum), et multo minus omnes effectus gratiae vel glorie; sed species eis concreatae, directe representant substantias materiales et immateriales, que sunt de perfectione naturali universi, ut supra dictum est. Quod autem per eas possint noviter cognoscere effectus gratiae vel glorie, aut voluntates vel cogitationes alienas, vel futura contingencia, contingit ex alterius revelatione; que, qualiter fiat, alterius est speculationis, et tamen in parte tactum est in praecedenti solutione.

Et haec sufficiunt ad objecta Scoti.

Sciendum tamen quod Petrus de Palude, ultima questione hujus distinctionis, pro praecedentium intellectu, sic dicit: « Oculus intellectualis angeli boni vel mali non potest videre corpus Christi in altari clare et immediate et directe, quia est de supernaturalibus intellectualibus: quia supernaturalia sensibilia angelus novit, cum etiam ad oculum homo videat ea, puta mortuum resuscitatum, vel oculum restitutum; supernaturalia autem intelligibili angelus non videt naturaliter; tale autem est esse corporis Christi in altari; ideo, etc. » Sed quod ex naturalibus angelus cognoscet hic esse accidentia sine subjecto, non autem hic esse corpus Christi, dubium est: quia ipso potest scire quid factum est de substantia panis, quod (2) non est annihilata, et quod (3) est conversa in corpus Christi, sicut quod cibis convertilitur in cibatum, et hujusmodi (scit enim generationem et corruptionem rerum naturalium); sed corpus Christi non est hic nisi per hoc quod in ipsum conversum est id quod erat hic; ergo, etc. — Sed potest dici quod angelus scit, vel sciens potest, nisi prohibetur specialiter, quidquid

(2) *quantum ad modum* — *quemadmodum* Pr.
(3) *curatione*, — *curatione* Pr.

(2) *quod*, — *qua* Pr.
(3) *non* — *Ad*. Pr.

fit in naturalibus modo naturali; sed quod fit modo supernaturali, non oportet. Nec appareat quare plus cognoscatur accidentia esse sine subjecto, quam conversionem factam in corpus Christi; cum utrumque sit preter cursum nature. — Vel dicendum est, quod, sicut nos cognoscimus sensibilia, sic ipse intelligibilia. Unde, sicut videmus accidentia corporalia non esse, sed non videmus quid de illis factum sit, cum appareat in forma carnis vel pueri; sic angelus videt substantiam ibi non esse, sed non videt utrum sit annibilata vel conversa. Sed hujusmodi supernaturalia possunt ipsi citius et certius quam nos conjectare, indirecte, per miracula facta, que ipsi sciunt esse vera; nos autem non; quia qui nobis videtur suscitatus, forte est angelus in corpore assumptus; sed talis deceptio non cadit in angelo. Unde credunt et contremiscunt: credunt, quia non vident illud in se, sicut nec Trinitatem, nec unionem Verbi cum carne; tamen sciunt indirecte, per miracula, quia conjecturant quod impossibile est non esse verum; sicut aliter cognoscere puerum natum, quem in se video, aliter quando adhuc est in utero tunciente, sed nescio quid determinate, an vivum aut mortuum, masculus an feminus. Et sic est de supernaturalibus respectu diemonum, quae per miracula cadentia sub eorum naturali evidentia sunt probata. Oculus ergo angeli naturalis non videt clare hic esse corpus Christi; sed hoc conjicit infallibiliter ex miraculis-sensibilibus, quae clare vidi fieri ad testimonium hujus veritatis. » — Hec Petrus, et bene, et conformiter supradictis, potissime pro solutione secundi.

Ad argumentum pro quaestione, patet solutio ex dictis ad septimum (z) argumentum Scotti contra primam conclusionem.

Et de quaestione haec sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XI.

QUESTIO I.

UTRUM POST CONSECRATIONEM EUCHARISTIE
REMANEAT IBI SUBSTANTIA PANIS

 Tercia undecimam distinctionem 4. *Sententiarium* queritur: Utrum post consecrationem Eucharistie remaneat ibi substantia panis.

Et arguitur quod sic. Quia dicit Damascenus (*de*

(z) *septimum.* — Om. Pr.

Fid. Orth.), lib. 4 (cap. 13): *Quia consuetudo est hominibus comedere panem et bibere vinum, conjugavit eis suam divinitatem, et fecit ea corpus et sanguinem suum.* Et ita panis communicationis non simplex panis est, sed unitus divinitati. Sed conjugatio est rerum existentium actu. Ergo panis et vinum simul sunt in sacramento Eucharistiae cum corpore et sanguine Christi.

In oppositum arguitur. Quia dicit Ambrosius, libr. *de Sacramentis*: *Licet figura panis et vini videatur, nihil tamen aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt* (z).

In hac quaestione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: *Quod substantia panis et vini non remanet post consecrationem in hoc sacramento.*

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 75, art. 2, ubi sic dicit: « Quidam posuerunt post consecrationem substantiam panis et vini remanere in hoc sacramento. Sed haec positio stare non potest. Primo quidem, quia per hanc tollitur virtus vel veritas hujus sacramenti, ad quam pertinet ut verum corpus Christi in hoc sacramento existat; quod quidem ibi non est ante consecrationem. Non autem aliquid potest esse alicubi, ubi prius non erat, nisi per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum: sicut in domo aliqua incipit de novo esse ignis, aut quia illuc defertur, aut quia ibi generatur. Manifestum est autem quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localium. Primo quidem, quia sequeretur quod desineret esse in celo: non enim aliquid localiter pervenit de novo ad locum aliquem, nisi deserat priorem. Secundo, quia omne corpus localiter motum pertransit omnia media; quod hie dici non potest. Tertio, quia impossibile est quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat. Et, propter hoc, relinquitur quod non possit aliter corpus Christi incipere de novo esse in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in

(z) Haec verba reperiuntur in *Decreto*, can. 74, dist. 2, *de Cons.*; deduci possunt ex dictis Ambrosii, *de Sacramentis*, lib. 4, cap. 4, et lib. 6, cap. 1.